



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 3. An, & quando Capitulum, sede vacante, Dimissorias dare possit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

Hinc ii, quibus Dimissoriæ dantur, prius sunt examinandi de scientia, vita, & moribus &c. nisi absentes sint, vel nisi concedens Dimissorias malit id relinquere illi Episcopo, qui dimissum ordinaturus est; nam etiam à proprio Episcopo examinati, & approbati ab Ordinante adhuc alicubi examinari solent.

Porrò nomine proprii Episcopi venit tum Episcopus *Originis*, ut si quis oriundus vel natus in ejus diocesi, in qua pater domicilium habuit, *C. 3. h. tit. in 6.* etsi per accidens natus sit extra talem Diocesim, v.g. in itinere, vel in loco, ad quem mater excurrit negotii conficiendi causâ; quia spectatur id, quod per se, non quod per accidens contingit, censeturque talis fictione juris natus esse in loco domicilii suorum parentum, per *l. 3. C. de Municipib.* Tum Episcopus *Domicilii*, quando scilicet quis in hujus diocesi domicilium, seu sedem fixit, cum voluntate, & animo ibi stabiliter manendi, nisi quid avocet, *l. 7. C. de incolis.* Unde non sufficit *quasi domicilium* ad suscipiendos Ordines, ut tenet communis DD. licet id sufficiat ad recipienda alia Sacramenta. Denique nomine proprii Episcopi venit etiam Episcopus *Beneficii*, quando scilicet quis in talis Epi-

scopi diocesi verum beneficium jam actu collatum in titulum, & possideri cœptum adeptus est. Atque ex triplici hoc capite potest aliquis subditus fieri Episcopi, ut ab eo tanquam à proprio Episcopo Ordines suscipere possit.

Ad 3. Q. posse Capitulum 586  
Cathedrale, sede vacante concedere litteras Dimissorias videtur ex eo probari posse, quòd dare Dimissorias sit actus jurisdictionis; actum autem jurisdictionis possit Capitulum exercere, cum sede vacante jurisdictione sit penes Capitulum. Eadem suffragatur etiam *C. cum nullus 3. h. tit. in 6.*

Verùm dicendum omninò est, 587  
spectato jure novo Trident. *Sess. 7. c. 10. de Ref.* non posse Capitulum, sede vacante dare Dimissoriales infra annum à die vacationis, nisi duntaxat arctatis ratione Beneficii Ecclesiastici, seu iis, qui actu obtinent, vel electi, præsentati, ac nominati sunt ad Beneficium, quod exigit Ordinem sacerdotalem intra annum suscipiendum. Ut adeò restricta hinc sit Capitulo jurisdictione, ac potestas per Trident; quam olim antiquo jure habebat, *citt. C. cum nullus.* Post annum tamen vacationis potest Dimissorias dare subditis diocesanis;

Kkkk 3

imò

imò & intra annum dare potest litteras testimoniales de vita, moribus, & doctrina, quia tales litteræ non sunt litteræ Dimissoriae, cum non contineant licentiam Ordines suscipiendi, prout tamen illam continent Dimissoriae, sed solum testimonium de vita, & moribus &c.

## CASUS XCIX.

### *De negotiatione Clericis prohibita.*

**F**Austinus Parochus cum Beneficium habeat valde tenue, & insufficiens ad congruam sustentationem, pecunias paucas, quas ex redditibus Beneficii, & aliis rebus à se emptis, & venditis acquirit, tradit Fausto mercatori cognato suo, ut iisdem negotietur, & ut sic & ipse lucrum aliquod inde percipiat.

*QUÆR. I. An, & quomodo peccet Faustinus Parochus negotiando per Faustum cognatum suum?*

*QUÆR. II. An graviter peccet una solum, alterave vice negotiando per se ipsum?*

*QUÆR. III. An Clericus non habens, unde honestè vivat, licitè negotietur?*

588 **A**Nte resolutionem hujus Casus notandum est, duplicem esse negotiationem, unam scilicet strictè ac propriè dictam, alteram impropiè, & latè sumptam. Hæc posterior est illa, quâ aliquid emitur, ut per industriam, artem, vel laborem res in aliam formam mutata, aut melior reddita, vendatur. Negotiatio verò propriè dicta, & de qua hîc quæritur, illa est, quâ res aliqua emitur eò animo, & intentione ut integra, & non mutata cum lucro vendatur, quæ negotiatio, licet intrinsecè